UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor

**Febeo, Francesco Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

**VD18 13560743-001**

Tit. XVII. De Ecclesiastico Interdicto

urn:nbn:de:hbz:466:1-63052

Visual Library

cia receſſerit, & Summus Pontifex abſolutionem ſibi non reſervaverit, ut deſumitur ex *cap. Nuper 29. de ſent. excomm.* ubi dicitur quod cum conditor Canonis abſolutionem ſibi non reſervat, concedere videtur facultatem aliis relaxandi.

8. Quòd ſi ſuſpenſio lata ſit à Jure per modum puræ pœnæ abſque ulla temporis determinatione, utrum in eo caſu poſſit Epiſcopus illam abſolvere, eſt quæſtio à Canoniſtis agitata, & varie à variis reſoluta, ut videri poteſt apud Caſtrop. *de Cenſ. diſp. 4. puncto 9. n. 5. & 6.* alioſque ab ipſo relatos.

9. Quod autem attinet ad ſuſpenſioné latam expreſsè in perpetuum & abſque ſpe reſtitutionis, quæ proprio nomine dicitur depoſitio, dicetur infra in ſpeciali tit. *de depoſitione & degradatione.*

## TIT. XVII.

### *De Eccleſiaſtico Interdicto.*

1. TErtia Eccleſiaſticæ cenſuræ ſpecies eſt Interdictum, quo nomine venit Eccleſiaſtica illa cenſura, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, nec non officiorum Divinorum & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quatenus ea ſunt bona quædam ſpiritualia à fideli-

delibus participanda, quæ interdicti explicatio deſumitur ex *cap. Quod in te* 11. *de pœnitentiis & remiſſionib.* & ex c. *Non eſt vobis* 11. *de ſponſalib.* Ubi notandum quod ſub diverſo reſpectu poteſt quis per diverſas cenſuras eodem bonorum genere privari: interdictum enim privat prædictis rebus Sacris, quatenus Sacræ ſunt & à fidelibus participabiles: excommunicatio iiſdem privat, quatenus includunt aliquam communicationem cum aliis fidelibus: ſuſpenſio demum, quatenus ſunt actus poteſtatis aut miniſterii Eccleſiaſtici. Unde ulterius infertur, quod quamvis ſuſpenſio ferri poſſit ſolum in Clericos; at interdictum eſſe poteſt commune Clericis & laicis; ſicut & excommunicatio.

2. Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale, aliud mixtum. Interdictum locale eſt, quo interdicitur locus, ſeu quod immediatè terminatur ad locum. Perſonale eſt quo interdicitur aliqua perſona vel communitas perſonarum, ſeu quod immediatè terminatur ad perſonam aliquam vel communitatem perſonarum. Mixtum denique eſt quo immediatè interdicuntur locus & perſonæ.

3. Inter interdictum purè locale & inter interdictum perſonale, illud inter reliqua diſcrimen eſt, quod interdictum perſonale, utpote immediatè afficiens perſonas, ſequitur perſonas ipſas, quæ propterea quocumque ſe conferant,

rant, ſunt ubilibet interdictæ. At interdictum purè locale, cum immediatè ſolum locum afficiat, & nonniſi ex loco redundet in perſonas, non afficit perſonas niſi pro ut exiſtentes in loco interdicto, unde extra locum interdictum non prohibentur intereſſe Divinis: exceptis tamen iis perſonis, quæ cauſam dederunt illi interdicto locali, quia ejuſmodi perſonæ ſpecialiter puniuntur etiam interdicto perſonali, unde nec in loco interdicto nec alibi poſſunt intereſſe Divinis, ut deciditur in c. *Si ſententia* 16. *de ſent. excomm. in* 6.

4. Rurſus interdictum aliud eſt generale, aliud ſpeciale, quæ diviſio locum habet tum in interdicto locali, tum in interdicto perſonali, ſumiturque ex c. *Cum in partibus* 17. *de verb. ſignificat.* Interdictum generale eſt, quod fertur in regnum, civitatem, populum, ſeu communitatem: ſpeciale ſeu particulare eſt, quo ſpecialis locus, puta hæc vel illa Eccleſia, aut aliqua determinata perſona interdicitur. Demum omiſſis aliis diviſionibus facilioribus, dividitur interdictum, ſicut etiam ſuſpenſio & excommunicatio, in id quod eſt à Jure, & in id quod eſt ab homine, quæ diviſio ſatis patet ex ſupradict.

5 Interdictum ferri poteſt ab eo, à quo ferri poteſt excommunicatio atque ſuſpenſio, regulariter loquendo. Requiritur autem pro eo ferendo gravis cauſa ſeu grave delictum, & ſi fer-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

debeat ob contumaciam & per modum pœnæ medicinalis requiritur ut ſcripto feratur, & cum iis conditionibus quas indicavimus in *tit. 15. hujus libri n. 15. ex c. 1. de ſent. excom. in 6.*

6. Pro interdicto locali, regula eſt, illud eſſe amplæ interpretationis, tum quoad extenſionem locorum, tum etiam quoad extenſionem perſonarum in loco interdicto commorantium. Sub interdicto igitur generali locali cui v. g. civitas ſupponatur, non tantum comprehenditur locus intra muros civitatis concluſus ſed etiam ejus ſuburbia & ædificia continentia, quemadmodum & interdicta Eccleſia, cenſentur etiam interdictæ ejus Cappellæ, & Cœmeterium contiguum, ut expreſsè ſtatuitur in *c. ſi civitas 17. de ſent. excomm. in 6.* quia videlicet alioquin interdictum redderetur fruſtraneum. Item prædictum interdictum vim quoque habet in locis, quæ cæteroquin exempta ſint à juriſdictione interdicentis, puta ſi intra civitatẽ interdictam aut in ejus ſuburbiis ſit aliqua Eccleſia Regularium aut aliorum, ſupra quos Epiſcopus juriſdictionem non habeat, adhuc tamen interdictum ad eandem Eccleſiam extenditur ut definitum etiam eſt à Trid. *ſeſſ. 25. de Regularib. & Monialib. c. 12.*

7. Fit etiam ampla interpretatio quoad extenſionem perſonarum, unde interdictum locale ſervare tenentur omnes tam ſæculares,

quam

quam Regulares, etiam exempti tam exteri, quã incolæ: quia ejuſmodi interdictum non tam eſt prohibitio perſonis facta, quam quædam inhabilitas atque privatio Divinorum cui locus ſubjectus eſt. Idque adeo procedit, ut plures apud Caſtrop. *de Cenſ. diſp.* 5. *puncto* 2. *n.* 7. tradiderint, etiam illum, qui interdictum tulit, teneri ad illud ſervandum.

8. Idem fere procedit in interdicto perſonali, quod ſi generale ferri contingat, ample eſt interpretandum, & extendendum ad omnes perſonas, quæ ſint pars illius communitatis ſeu univerſitatis, quæ interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſita eſt, etiamſi ſint perſonæ innocentes, & etiamſi incorporentur eidem communitati poſt latam ſententiam interdicti: à qua tamen generali regula eximendi ſunt Epiſcopi, qui ſub generali ſententia interdicti perſonalis non includuntur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio; ut ſupra diximus in *tit.* 16. *de ſuſpenſione n.* 1. *ex cap. Quia periculoſum* 4. *de ſent. excomm. in* 6.

9. Ejuſmodi perſonarum extenſio locum habet, quando cæteroquin propria verborum ſignificatio illam admittit: ſecus eſt ſi perſona aliqua propriè non comprehendatur ſub ea expreſſione nominis quo communitas interdicitur. Hinc ſi interdicatur Clerus, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum) interdictus populus: nec etiam econverſo, juxta textum in *c. Si*

*ſen-*

*ſententia* 16. *eod. in* 6. quia nomine populi intelliguntur tantum ſæculares, ſeu laici.

10. Effectus interdicti plures à Doctoribus numerantur. Primus eſt privatio activa & paſſiva Sacramentorum, exceptis tantum iis quæ expreſsè per Sacros Canones excipiuntur. Sub hoc excepto genere recenſeri poteſt Sacramentum Baptiſmi & Sacramentum Confirmationis: utrumque enim conferri licitè poſſe tempore interdicti tam adultis quam parvulis deciditur in *cap. Quoniam* 19. *de ſent. excomm. in* 6. dummodo tamen, extra caſum neceſſitatis, non conferatur à perſona ſpecialiter interdicta ſive per proprium particulare interdictum ſive per generale, cui dedit cauſam.

11. Sacramentum etiam Pœnitentiæ quod tempore interdicti localis olim poterat tantum miniſtrari morientibus & peregrinis, *cap. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſ.* de jure recentiori ſtatuto in *cap. Alma mater ult. de ſent. excomm. in* 6. poteſt omnibus tam ſanis quàm infirmis miniſtrari, dummodo excommunicati non ſint, aut culpabilem cauſam interdicto non dederint; in quo caſu antequam ad Pœnitentiam admittantur, debent prius (ſi id facere valent) ſatisfacere, vel de ſatisfaciendo idoneam dare cautionem &c. juxta modum ſtatutum in *eod. c. Alma mater.*

12. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tem-

tempore generalis interdicti miniſtrari poteſt tantum iis qui ſunt in gravi mortis periculo, ex *cap. Permittimus* 57. *de ſent. excomm.* qui tamen, ſi ſint ſpecialiter interdicti, debent prius condignam ſatisfactionem exhibere, aut de ſatiſfaciendo cautionem præſtare, vel ſi neutrum poſſint, debent jurare ſe cum primum poſſint ſatisfacturos: & ad ſatisfactionẽ hujuſmodi per ipſos, vel per eos, qui facere ipſam debent & poſſunt præſtandam, daturos conſilium & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laboraturos, ut colligitur ex *cit. c. Alma.*

13. Quod attinet ad celebrationem Miſſarum, olim in interdicto locali concedebatur celebratio Miſſæ ſemel tantum in hebdomada ad conficiendam Sacram Euchariſtiam pro infirmis, Campanis tamen non pulſatis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, *cit. c. Permittimus*: poſtea extenſa fuit illa conceſſio in *cit. c. Alma mater*, ubi conceditur facultas ſingulis diebus Miſſas celebrandi in Eccleſiis & Monaſteriis, ſervando tamen eaſdem conditiones, nempe Campanis non pulſatis &c. Hæc tamen extenſio conceſſionis intelligenda eſt pro interdicto locali generali, non autem de interdicto locali ſpeciali: ut docet Gloſ. *in eod. c. Alma v. Eccleſiis*: quare in interdicto locali ſpeciali ſervandum eſt jus antiquum.

14. Præ-

14. Prædictæ conditiones, cum quibus celebrari poteſt Miſſa tempore interdicti, ſuſpenduntur in quatuor ſolemnitatibus, nempe Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. in quibus diebus conceditur ut pulſentur campanæ, & januis apertis alta voce Divina Officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis excluſis, ſed interdictis admiſſis: ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent, ex *eod. cap. Alma Mater*. Quibus diebus additum poſtea fuit etiam feſtum Sanctiſſimi Corporis Domini cum ſua octava à Martino V. in Conſtit. 12. quæ incipit *Ineffabile Sacramentum*.

15. Sacramentum extremæ Unctionis conferri non poteſt tempore interdicti ex textu *cap. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſionib.* Item neque Sacramentum Ordinis, propter generalem regulam ſupra indicatam, quod omnium Sacramentorum collatio & perceptio tempore interdicti ſit prohibita, exceptis tantum iis quæ expreſsè per Sacros Canones excipiuntur: nullibi autem in Jure Canonico invenitur Sacramentum Ordinis exceptum.

16. De Sacramento Matrimonii utrum in loco interdicto, vel à perſonis generaliter interdictis adminiſtrari aut recipi poſſit, controvertitur inter Doctores. Negat. Suar. *de cenſ. diſp.*

*diſp. 33. ſect. 1. n. 50. & ſeqq.* Affirmat Panorm. *in cap. Non eſt* 11. *de Sponſal. n.* 8. Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 8. num. 2.* aliique ab ipſo citati, qui videri poſſunt. Specialiter tamen interdicti removentur ſpeciali titulo à matrimonio contrahendo ſi contumaces exiſtant, quia tunc ponunt obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ.

17. Alter effectus interdicti eſt privatio Divinorum Officiorum, quorum nomine comprehenditur tum Miſſæ celebratio, de qua paulò ante dictum eſt; tum etiam publicæ Orationes ab Eccleſia factæ, exercitium & actus pendentes ab Ordine Sacro, aliaque ſimilia. Ejuſmodi Divina Officia quatenus liceant tempore interdicti localis generalis, januis clauſis &c. videri poteſt in *cit. c. Alma Mater.*

18. Tertius effectus interdicti eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ quamdiu durat tempus interdicti, *cit. c. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſion.* exceptis tamen iis Clericis qui ſpecialiter interdicti non ſint, & generale interdictum locale ſervaverint: iis enim conceditur ut cum ſilentio ſepeliri poſſint in Cœmeterio Eccleſiæ ſine campanarum pulſatione & ceſſantibus omnibus ſolemnitatibus cum ſilentio.

19. Circa pœnas violantium interdictum, ſtatutum eſt, ut ſi Clerici actus proprios ſui Ordinis, à cujus exercitio interdicti ſunt, exer-

ceant, irregularitatem ipſo facto incurrant, de quo vide quæ diximus in *tit*. 12. *hujus libri num*. 4. Præterea violantes interdictum locale redduntur inhabiles ad electionem tam activam, quam paſſivam, *cap. Is qui* 18. §. *Is vero de ſent. excomm. in* 6. *&* c. 1. *de poſtulat. Prælat.* Rurſus Regulares etiam exempti non ſervantes interdictum, quod ab Eccleſia Cathedrali ſeu Parochiali loci in quo ſunt, ſervari vident, aut ſciunt, ipſo facto in ſententiam excommunicationis incurrunt, ex *Clem*. 1. *de ſent. excomm.* Demum ex *Clem*. 1. *de Sepultur.* etiam excommunicationem incurrunt violantes interdictum, (quamvis cæteroquin exempti ſint), quoad Eccleſiaſticam Sepulturam, ſepeliendo in caſibus non permiſſis aliquem interdictum, vel in loco interdicto, ac præterea ex *c. Epiſcoporum* 8. *de privileg. in* 6. ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec competenter ſatisfecerint ad arbitrium ejus cujus ſententiam contempſerunt.

20. Quod attinet ad laicos interdictum violantes, ſtatutum eſt in *Clem. Gravis* 2. *de ſentent. excomm.* ut ſi Dominus alicujus loci interdicto ſuppoſiti compellat Clericum in loco interdicto celebrare Divina, vel pulſu campanæ, aut voce præconis evocari faciat ad Divina populos interdictos, aut impediat ne de Eccleſiis egrediantur excommunicati, aut interdicti, exi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

e juſſi ab iis ad quos pertinet: ſi excommunicatus excommunicatione reſervata Summo Pontifici, quam etiam excommunicationem incurrunt ipſimet excommunicati, aut interdicti, qui in ipſis Eccleſiis nominatim à celebrantibus, ut exeant, moniti remanere præſumpſerint. Aliæ diverſorum generum violationes interdicti, quæ committantur à laicis, puniendæ ſunt Judicis arbitrio, ſpectata criminis qualitate.

21. Interdictum latum & incurſum pluribus modis ceſſare poteſt. Primò enim ſi poſitum fuit pro limitato tempore, aut ſub certa conditione, eo tempore elapſo & conditione appoſita ceſſat, ut docet Gloſſ. *in cap. Non eſt vobis* 11. *de Sponſalib. v. donec*, & ibi Panor. *nu.* 7. Ut autem ceſſet antequam tempus illud elapſum ſit, aut appoſita ſit conditio, opus eſt abſolutione ſeu diſpenſatione, quæ dari non poteſt, niſi ab eo qui interdictum tulit, aut ejus Superiore pleno jure.

22. Quod ſi interdictum latum ſit abſque ulla determinatione temporis & abſque ulla conditione, ut communiter ferri ſolet, quando imponitur ad contumaciam coercendam; tunc recedente etiam contumacia & ſatiſfactione præſtita, non propterea ceſſat interdictum, ſed opus eſt abſolutione, ut colligitur ex *cap. Quamquam* 4. *de cenſib. in* 6. ubi latis cen-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuris excommunicationis & interdicti contra exigentes tributa ab Eccleſiaſticis perſonis, præcipit Summus Pontifex ne ab excommunicatione hujuſmodi abſolutionem, vel ab interdicto relaxationem obtineant, donec exacta plené reſtituerint, & de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter. Supponit ergo Pontifex, impoſitum interdictum ad frangendam contumaciam, abſolutione indigere ad hoc ut ceſſet, quamvis contumacia jam ceſſaverit.

23. Abſolutio ab interdicto locali non reſervato, dari non poteſt niſi ab eo qui in illum locum juriſdictionem habeat Epiſcopalem: requiritur enim ad talem actum abſolutionis Eccleſiaſtica juriſdictio fori contentioſi, quæ cum Epiſcopali poteſtate conjungitur, ut docet Suar. *de cenſ. diſp.* 38. *ſect.* 2. *n.* 5. Abſolutio etiam ab interdicto generali perſonali propter eandem rationem haberi non poteſt tum quoad totam communitatem interdictam, tum quoad particulares ejus perſonas, niſi ab eo, qui in eandem communitatem illa juriſdictione fungatur. Demum interdictum perſonale ſpeciale, ſi non ſit reſervatum, abſolvi poſſe non ſolum ab Epiſcopo, ſed etiam ab inferioribus Confeſſariis, ſuppoſito quod habeant privilegium abſolvendi à cenſuris, docent plures, quos citat Caſtrop. *de cenſ. diſp.* 5. *puncto* 7. §. 2. *n.* 7.

plures

plures etiam negant, quos habes ibid. ab eodem citatos.

## T I T. XVIII.

### *De Depoſitione, & Degradatione.*

1. SPirituales pœnæ, de quibus hactenus in præcedentibus titulis dictum eſt, ſunt plerumque pœnæ medicinales, utpote imponi ſolitæ ad contumaciam concernendam, unde de natura ſua non ſunt perpetuæ, ſed tunc demum per abſolutionem ceſſant, quando Reus ſatisfactione præſtita reſipuerit. Præter ejuſmodi pœnas, aliud quoque penes poteſtatem Eccleſiaſticam eſt ſpiritualis pœnæ genus, quod in perpetuum imponitur abſque ſpe remiſſionis, ac propterea non includitur ſub ratione cenſuræ, ſub quo genere continetur depoſitio ac degradatio, de quibus in hoc titulo agendum eſt, ut ſpectantia ad pœnas Eccleſiaſticas abſolvamus.

2. Depoſitio igitur pœnalis, ut hic accipitur, eſt de dignitate vel beneficio, aut etiam ab uſu Ordinis perpetua deturbatio ſeu privatio, reſpectivè prout eſt vel depoſitio à beneficio, vel ab Ordine, vel ab utroque, ut communiter eſſe ſolet quando à Jure fertur ſententia depoſitionis, ut notavit Conink. *tom. 2. diſp. 16. n. 5.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN